



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Idea Theologiæ Specvlativæ**

**Petrus <a Sancto Josepho>**

**Coloniæ, 1648**

XI. De conditionibus ad meritum necessariis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38884**



pliciter injustus, & Deo exosus; justus verò, & Deo gratus secundum quid.

*Dices 2.* Amicitia & inimicitia non possunt esse simul respectu ejusdem, atqui gratia est amicitia inter nos & Deum, peccatum verò inimicitia, ergo, &c. *Respondeo* minorem non esse veram in sensu formali, sed tantum quatenus gratia est signum amicitiae Dei erga nos, peccatum verò ex se provocat inimicitiam Dei in nos; at non repugnat quòd injurii simus erga aliquem, & quòd ille nos aliquo afficiat beneficio.

*Dices 3.* Repugnat quòd aliquis simul sit beatus, & damnatus; ergo & quòd simul sit in gratia, & in peccato constitutus. *Respondeo* non sequi, nam beatitudo dicit formaliter exclusionem omnis miseriae, & poenae, illius praesertim quae ad statum damnatorum pertinet; at non ita gratia habitualis dicit formaliter exclusionem peccati aut vice versa. Quare si aliquis haberet simul gratiam, & peccatum, ad providentiam divinam spectaret impedire, ne in eo statu moreretur.

*Dices 4.* Non potest esse causa formalis sine effectu formali, ergo si gratia potest esse cum peccato, sequitur eam non esse causam formalem remissionis peccatorum. *Respondeo* hinc tantum sequi, gratiam praecise quoad suam entitatem spectatam, non esse causam formalem remissionis peccatorum, sed tantum spectatam ut habet quosdam effectus morales, cum peccato impossibiles.

## CAPUT XI.

*De conditionibus ad meritum necessariis.*

**R**ESOLUTIO I. *Datur verum aliquod hominis meritum apud Deum, consistens in aliquo actu libero, quique ex auxilio gratiae procedat.* ] PRIMA PARS probatur evidenter ex Script. quae aliquando operibus humanis meritum tribuit, ut cum *Eccli. 16.* dicitur, Misericordia facit unicuique locum secundum meritum operum suorum. Aliàs docet justorum

S operi-



operibus respondere mercedem apud Deum, ut patet ex verbis illis *Matth. 5.* Gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cœlis: at merces respondet meritis. Hæc porro intellige de operibus bonis & honestis, cum mala pœnam mereantur, non præmium.

*Neque dicas cum hæreticis, hinc merita Christi obscurari; hoc enim falsum est quin potius sicut illustratur potentia Dei, ex eo quod rebus creatis potestatem agendi dederit; ita illustrantur merita Christi, quatenus ex iis virtus merendi præmia æterna in nos profluxit.*

*Secunda pars ostenditur, tum ex Eccli. 31. ubi dicitur bona iusti stabilita esse in Domino, quia potuit transgredi & non est transgressus, facere mala & non fecit; tum ex vulgari illo Hieronymi testimonio *lib. 2.* contra Jovinianum, Liberi arbitrii nos condidit Deus nec ad vitia, nec ad virtutes necessitate trahimur; alioqui ubi necessitas, nec corona, nec damnatio est; tum quia qui meretur præmium, aliquid suum dat. at non nisi opus liberum est hominis, cum in alia dominium non habeat: tum denique quia sicut nemo puniri solet, pro malo quod vitare non potuit: ita nec præmiari pro bono quod ex necessitate pertravit.*

*Ubi nota 1. Etsi non nisi actiones liberæ possint acceptari ad meritum vitæ æternæ, non liberæ tamen posse acceptari ad vitam æternam; ut patet in morte Innocentium, quam Deus acceptavit ad gloriam martyribus debitam.*

*Nota 2. Non esse necessariam ad meritum, libertatem quoad specificationem inter bonum & malum, sed sufficere libertatem quoad exercitium actus, & quoad specificationem inter diversa bona, ut patet exemplo Christi qui liberè agebat, etsi peccare non posset.*

*Tertia pars ostenditur, tum ex verbis illis Christi *Jean. 15.* Sine me nihil potestis facere, id est, ut expli-*

cant



cant Patres, sine meo auxilio nihil potestis operari, quod ad vitam æternam conducatur. Tum quia Conciliorum, & Patrum communis vox est, omnia nostra merita esse Dei dona ejusque gratia proveniri; tum denique quia gratiam actualem generatim necessariam esse ad opera pietatis, ex supradictis de necessitate gratiæ perspicuum relinquitur.

*Dices 1.* Qui dederit potum aquæ frigidæ, non perdet mercedem, *Matth. 10.* at hoc fieri potest sine auxilio gratiæ. *Respondeo* ibi agi de eo qui potum aquæ dederit discipulo, in quantum discipulo, adeoque ex affectu erga Christum, ut ex *Marc. 9.* clarius intelligi potest.

*Dices 2.* Homo meretur servando præcepta, at si non omnia, aliqua saltem præcepta servari possunt sine auxilio gratiæ. *Respondeo* hominem mereri servando præcepta, si adsint conditiones ad meritum necessariae, quarum una est ut opus fiat ex gratiæ auxilio. Alias similiter concludi posset, ad meritum non requiri gratiam sanctificantem, cum sine illa quædam præcepta servari possint.

RESOLUTIO II. *Ad meritum non requiritur ut sit opus à charitate elicitum, vel imperatū.* ] PRIOR PARS probatur 1. tum quia Scriptura generatim tribuit meritum bonis iustorum operibus; ut cum *1. Cor. 3.* dicitur: Unusquisque propriam mercedem accipiet, secundum suum laborem. *Et Heb. 6.* Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri. Immerito autem hæc & similia quis restringet ad actus ex sola charitate procedentes.

*Secundo* quia Concil. Trident. *sess. 6. cap. 16.* statuit, nihil ipsis justificatis amplius deesse, quominus illis operibus quæ in Deo sunt facta divinæ legi satisfecisse, & vitam æternam verè promeruisse censeantur. Dici autem non potest, hæc verba intelligi de solis actibus charitatis; cum etiam actus aliarum virtutum ad satisfaciendum divinæ legi sunt necessarij.



*Posterior pars* ex priori colligitur, nam Scriptura, & Concilium agunt de bonis operibus iusti factis ex Christi auxilio, & per quæ præcepta divina servantur: Ista autem non possunt verificari, de solis operibus à charitate elicitis, vel imperatis; cùm aliæ pleræque oriuntur ex gratiæ auxilio, & per ea præcepta divina servantur.

*Dices 1.* Scriptura indicat alia opera non mereri, nisi quatenus oriuntur ex charitate; ut cùm promittitur mercedem tribuenti discipulo potum aquæ, ex charitate Christi. *Respondeo* eleemosynam quæ fit ex charitate Christi, esse valde meritoriam; non tamen requiri ut sit meritoria, quod fiat ex tali charitate, sed satis esse quòd cum illa fiat.

*Dices 2.* Ut opus sit meritorium, debet referri in Deum, ut in finem supernaturalem; at nequit habere ejusmodi relationem, nisi ex charitate fiat. *Respondeo* minorem falsam esse, nam quemadmodum res quæ à Deo procedunt ut authore naturæ, ad eundem redeunt ut ad finem naturalem; ita cùm in homine præter charitatem, sint varii actus supernaturales, qui consequenter à Deo ut authore supernaturali procedunt, dicendum est ejusmodi actus ex se, & sine relatione alterius virtutis, ad Deum ut ad finem supernaturalem tendere.

**RESOLUTIO III.** *Ad proprium meritum requiritur ex parte operantis, gratia sanctificans, & status viatoris.* ] **PRIMA PARS** probatur, tum ex illo Pauli *1. Cor. 13.* Charitatem autem si non habuero, nihil sum; & ad *Galat. 5.* In Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.

Tum ex Concilio Tridentino *sess. 6. cap. 16.* ubi multipliciter indicatur, non nisi opera iusti esse meritoria; ut cùm in ipso capituli titulo meritum vocatur fructus justificationis; & postea in discursu cum dicitur, vitam æternam esse mercedem bonis operibus filiorum Dei reddendam. Quibus consen-

tanca



anea passim tradunt Patres, quorum verba prætere-  
reo.

*Tum* quia valor operis non tantum sumitur à conditione, & natura ipsius operis, sed etiam à circumstantia personæ operantis, ut patet experientia, & in Christi operibus libro 2. observavimus. Quare ut homo gloriam æternam condigne mereatur, non sufficit quod opus habeat quandam proportionem cum tali præmio, sed etiam requiritur ut ipse ad statum supernaturalem evehatur, quod fit per gratiam sanctificantem. Accedit quod cum homo in hoc statu cærens gratia versetur in peccato, ac proinde sit exosus Deo, fieri nequit ut gloriam æternam apud illum de condigno mereatur. Maxime quia eo ipso deberet mereri remissionem peccati, ipsamque gratiam sanctificantem, quod tamen esse impossibile constat ex Concil. Trident. *sess. 6. cap. 8.*

*Secunda pars* colligitur ex variis Scripturæ testimoniis, addita Patrum, & Theologorum expositione: ut cum dicitur *Eccles. 11.* Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit ibi erit. *2. ad Timoth. 5.* Omnes nos oportet manifestari ante tribunal Christi, ut referat unusquisque prout gessit in corpore suo, sive bonum, sive malum. *Et ad Galat. 6.* Cum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, &c.

*Ratio* autem sumi debet ex ordinatione Dei, qui non aliis quam viatoribus promisit præmium; cum enim multa opera non viatorum possint esse bona, libera, & supernaturalia, nulla est ratio cur ea non sint meritoria, nisi quia Deus nullum præmium promisit ejusmodi operibus.

*Nota* ut quis mereatur, non sufficere quod sit viator, seu quod adhuc ad terminum viæ non pervenerit, sed prætereà requiri, ut hic vivat conditione mortali. Quod addo, ex communiori sententia, propter Enoch, & Eliam qui etsi mortui non sint, sed translati, cum tamen non vivant conditione



mortali, verisimile est eos extra statum merendi constitutos esse, ne alioqui dicere cogamur, eos tandem ad gloriam quandam immensam, meritis propè infinitis respondentem aliquando esse evenendos.

**RESOLUTIO IV.** *Et si opera hominis iusti habeant ex se quandam condignitatem cum premio, non tamen proprie illud de condigno merentur, sine aliqua promissione, aut pacto Dei.* ] **PRIMA PARS** probatur quia opera meritoria iusti sunt superna, naturalia & procedunt à filio Dei adoptivo; quare habent proportionem quandam cum premio supernaturali gloria aeternae, quae est haereditas filiorum Dei.

*Secunda pars ostenditur,* tum quia qui meretur aliquid de condigno, acquirit verum jus ad habendum premium; at non potest homo verum aliquod jus acquirere in gloriam aeternam, sine promissione Dei; sicut nequit operarius laborans in vinea patris familias, habere jus ad obtinendam mercedem ex bonis illius, nisi promissio aliqua, aut pactum inter illos intercesserit: tum quia ne quidem ipsa Christi opera fuere meritoria citra promissionem Dei; alias cum ea ex se haberent valorem, & dignitatem infinitam: Christus omnibus hominibus de facto obtinisset immensam gratiam & gloriam: tum denique, quia cum opera multa existentium in purgatorio, & in coelo habeant condiciones ad verum meritum necessarias, dicendum est rationem cur non mereantur de facto, non aliam esse quam, quia Deus non promittit premium aliquod pro eiusmodi operibus.

*Dices 1.* Peccatum mortale poenam aeternam meretur, et si pactum non accedat: ergo & bonum opus meretur gloriam; et si non adsit promissio. *Respondet* non sequi, & ratio discriminis est; quia in posteriori casu homo acquirit jus ad bona divina, non in priori.

*Dices 2.* Si ad meritum necessaria est promissio, non



non potuerunt antiqui Patres accipere gratiam ex Christi meritis; cum nondum esset Christus cui fieret promissio. *Respondeo* non sequi, nam sicut meritum Christi movere potuit, etsi nondum existeret nisi in praevisione Dei, ita etsi nondum essent conditiones ad illud necessariae.

*Dices* 3. Promissio Dei est extrinseca operi; quare non facit ut sit meritorium, sicut neque ut sit bonum. *Respondeo* promissionem non tribuere operi dignitatem, ipsam tamen rationem meriti in eo complere, quatenus facit ut operans habeat jus in praeium, quod alias non haberet.

## CAPUT XII.

*De premiis quae cadunt sub meritum.*

**R**ESOLUTIO I. *Non potest peccator mereri de condigno gratiam sanctificantem, potest tamen eam mereri de congruo.* ] PRIMA PARS PROBATUR, tum ex verbis illis Concilii Trid. *sess. 6. cap. 8.* Gratis justificari à Deo dicimur, quia nihil eorum quae justificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur.

Tum quia si peccator de condigno meretur gratiam hoc fit per dispositiones ad illam; at ejusmodi dispositiones ad id non sufficiunt, cum illae, vel sint remotae, vel proximae; & priores, tempore praecedant gratiam; ac proinde sint opera hominis Deo exosi, qui nihil apud eum condignè mereri potest ex supra dictis: posteriores verò etsi non tempore, saltem natura antecedant gratiam, sicque sint actus peccatoris, & inimici Dei meriti incapaces.

*Dices*, cum in eodem instanti reali ultima dispositio informetur à gratia, ea poterit ut sic mereri aliquid de condigno. *Verum* quicquid de hoc sit, non sequitur actum illum mereri de facto eam gratiam qua formatur; cum de lege ordinaria principium meriti non cadat sub meritum. Unde etiam collige peccatorem non mereri de condigno remissionem